



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum**

In tres Partes distinctum

**Rodríguez, Alonso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1622**

Cap. IV. De doloris affectu, & peccatorum nostrorum contritione, quæ ex  
Domini nostri Iesu Christi passionis meditatione eruenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40093**

pius maius tormentum, & dolor esse solet, aduersitatem & cruciatum expectare, quam pati. Sic ut tota eius vita immensorum dolorum mare fuerit, qui noctu & interdiu sine mensura aliqua sanctissimam illam animam affligebant.

Quicumque ergo hæc speciatim & per singulas partes attenderit & examinabit, quodque qui patitur, Dei filius sit, & pro nobis hæc patitur, & puro puro nostri amore, si ad compassionem non moueatur, saxo durius cor sit illi necesse est.

Bern. ser. ser.  
4. hebdom.  
sanctæ Mat.  
27. 45. & 51.

Hinc ait Sanctus Bernardus, quandoquidem terra tremuit, petra scissæ sunt, monumenta aperia, velum templi scissum, & Sol & Luna obscurantur; etiam æquum esse, ut & nos iis condoleamus, quæ Dominus pro nobis patitur. Non fas nos petris duriores esse, & creaturis rationis expertibus insensibiliores: dolore ergo cor nostrum scindatur, & viscera diuidantur. *Fili mi Absolon, Absolon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? Absolon fili mi, Fili mi Absolon*, dicebat Rex Dauid, 2. Reg. 8. vers. 33. Si ille filii mortem plangens, qui ramen eum persequeretur, & regno exuere volebat; talia proferebat; quanto magis nos huiusmodi conuenit, filii Dei mortem plangentes, qui ideo mortuus est, ut nos captiuos redimeret, & Patris æterni regno donaret.

#### CAPVT IV.

*De doloris affectu, & peccatorum nostrorum contritione, quæ ex Domini nostri Iesu Christi passionis meditatione eruenda.*

2. Affectus  
est Dolor de  
peccatis.

Secundus affectus, quo nos exercere, & ex Christi passionis meditatione erui oportet, est dolor & peccatorum nostrorum contritio. Hic est maxime proprius

fructus, quem inde habere possumus, & ut nobis de grauitate & malitia peccati constet: & remedii consideratione oculos nobis aperire debet, ut magnitudinem infirmitatis agnoscamus. Dicit Sanctus Bernardus: *Agnosce ô homo, quam grauis sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari*: grauitatem vulneris intellige, quod tam preciosa medicina egebat. Nihil tam peccati grauitatem indicat, quamuis infernus ei æternum debitus adiungatur, quam quod tantum malum, peccatum sit, ut necesse fuerit Deum hominem fieri, ut huic debito fieret satis; alio enim modo secundum iustitiæ rigorem satisfieri nequebat, nam Dei iustitiæ damnus & detrimentum inferebatur.

Offensio enim certo quodammodo infinita erat, quod contra infinitum Deum commissa esset, unde purus homo illi satisfacere non poterat, ob magnum quod inter Deum & purum hominem discrimen est. Necesse ideo erat, ut ille, qui pro eadem satisfactorus erat, infinitæ dignitatis homo esset, ei æqualis, qui iniuriam passus & offensus erat, & illi in bonitate respondens.

Hoc Theologi quodam exemplo declarant. Si quis hubulcus vel rusticus, vilis vel plebeius homo fuisse Regem pulser, vel colaphum impingat; certum est Regem non crediturum sibi satisfactum esse, si illum vilem homuncionem similiter curet fuisse pulsari, aut colaphum infringi, vel etiam ex patibulo suspendi, ducenta vel plura verbera dari, quod tantum inter Regem & illum discriminis sit, quid enim colaphus & iniuria Regi illata cum rustici colapho & morte comparationis habet? Qui ergo Regi satisfacti poterit? Scis quis? Si ille fieret, vel factus esset tantus Rex, quantum ipse est, tunc enim æqualis esset satisfactio, qua Rex contentus esset. Idem & hic contingit: vilis & abiectus homo, puluis & cinis offenderat & iniuria affecerat eceli & gloriæ Regem, impegerat (vita dicam) Deo colaphum, hoc enim, quan-



tum in se est, facit, qui mortale peccatum committit, quamuis vilis & abiectus hic homo moriatur, nō satis fit iniuriæ. Qua ergo ratione satisficit? Si hic homo Deus esset, ei, cui illata est iniuria, æqualis, & hic homo pateretur iniuriæ; fit satis. quod ergo remedium, cum alius Deus non sit, quam vnus solus? Hæc Dei infinita misericordia & mira inuentio & artificium fuit, quod excogitauit, vt homini ignoscere sine iustitiæ suæ detrimento: quod quamuis ipse offensus, & alius Deus non esset, qui satisfacere posset; se hominem Deus fecit, vt pateretur & moriretur homo, quandoquidem homo Deum offenderat & iniuria affecerat, vtque infiniti valoris esset passionis opus, quandoquidem offensio, & culpa certo quodam modo infinita fuerit; vtque ille, qui patitur, etiam Deus esset, cuius infiniti valoris sunt opera, quod Dei infiniti opera sint. Hæc passionis Dominicæ necessitas fuit, quæ peccati grauitatem & malitiam liquido demonstrat. Hinc queat Sanctus Iohannes Damascenus, quod quamuis Deus quotquot à mundi exordio homines fuerunt, eruntque vsque ad eiusdem finem, ob peccatum in infernum præcipiter; non tam diuinæ iustitiæ satisfactum iri, quam Dei incarnatione, & morte satisfactum fuit. Estque hoc non aliqua hyperbole aut emittens superiectio, sed ipsissima veritas. Torus enim infernus, & eius æternum ætatura tormenta non sunt satisfactio æqualis CHRISTI vitæ & morti, quæ ille (quoniam satisfaciens DEVS erat) diuinæ iustitiæ integre satisfecit, & debitum soluit, imo plus; in inferno enim nunquam pro vno solo peccato satisficit.

Secundum hoc ergo, dico vnum fructum præcipuorum ex passionis meditatione colligendum esse, multum peccata nostra plorare & odio habere, quandoquidem tanti Christo constiterunt. Harum spinarum & flagrorum, Domine, peccata mea causa sunt. Ego sum, qui peccavi, ego inique egi, vertatur, obsecro,

manus tua contra me. Tollere me, & mittere me in mare. scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis venit. Ionæ 1. 12. Hanc ego DOMINE crucem merui, ego conspui, flagellari, & illudi debebam.

Sanctus Bernardus huic proposito accommodam adfert considerationem. Ludebam ego in foro cum collegis, & in Regio tribunali mortis sententia in me ferebatur: quam vnigenitus Regis filius audiens, coronam ex capite deposuit, & vestes regias abiecit, & foras venit sacco indutus, cinere conspersus caput, pedibus nudis, plangens & plorans feruum suum morte damnatum. Video illum repente tali modo exeuntem, rei nouitate obstupefactus, causam interrogo; audio ire, vt pro me moriatur. Quid me hoc casu facere conuenit? Quis tam fatuus & inhumanus erit, vt ad lulum redeat, & illum non comitetur, nec cum illo ploret? His ergo & similibus considerationibus in oratione occupandi, sientes & plorantes nostra peccata, quæ passionis CHRISTI causa fuerunt. Hinc B. Pater N. in passionis exercitiis pro petitione, dolore, sensu & confusione ponit. Quare tanta pro peccatis meis DOMINVS passus est? Et petitio, quam B. Pater loco proemii ponit, semper est, quod vult nos inde colligere.

Valde à Sanctis hoc exercitium commendatur, ideo æquum, nos id non obliuisci, sed eo vti & exerceri, tam qui incipimus, quam qui progredimur, quod magno commodo fit.

Primo hoc exercitio, quiuis se recte in humilitate, & DEI timore conseruat. Fortissima enim & efficacissima considerationum, quæ adferri possunt, ad nos humiliandos & confundendos, est peccatorum consideratio, & eorundem dolor & contritio. Qui Deum, Creatorem & Dominum suum offendit, & æternum inferno addici merebatur, quas contumelias, quas iniurias, quas contemptus non æqui bonique consulat, in extimam, quæ

Ignat. 1. exerc. spirit.

Ex hoc exercitio nascitur humilitas.



quæ contra diuinam Maiestatem commisit, compensationem, & satisfactionem?

2. *Securitas de venia.*

Secundo hoc exercitium satis nos securos de venia reddit. Nihil enim cuiquam plus satisfacere potest, & certior rem reddere, quod Deus iam peccata dimiserit, quam quod eadem planxerit & deus contritus sit. Si peccata oculis subiicis, & de eis doles & confunderis; non illa adspiciet, sed obliuiscetur, hinc Sancti tam peccata in mentem reuocabant, & ob oculos ponebant: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Id est, coram me: Dicebat Propheta, Psalm 50. 5. II. vt DEVS illa obliuisceretur, & oculos ab illis auerteret. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Ideoq; notat Sanctus Hieronymus in verba eadem.

*Hieronymus.*

*Quia si tu ponis illud ante te, Deus illud non ponit ante se. Nihil tam oculos DEI, à peccatis nostris auerit, quam si nos illa intueamur, & iis confundamur & erubescamus. Ideoque hoc vnum eorum est quod nos certiores reddet, & delectabit in hora mortis: idcirco nos ante, hoc in eo exerceri expedit.*

3. *Antididum pro futuris peccatis.*

Tertio, non tantum remedium est prætorum criminum, sed & antididum, ne post in peccata labamur. Qui enim continue se confundit, & dolet se Deum confundisse procul abest, vt iterum & de nouo peccet.

4. *Solacium in tentationibus.*

Quarto efficax remedium est, vt quis possit se consolari & confirmare, qui tentationibus non consentit, quibus infestatur. Nam qui contritionis se actibus exercet, & peccatum odio habet, proponens potius mori, quam vnum lethale peccatum admittere; certior esse potest se tentationibus & scrupulis aduenientibus non consentisse, nam quis ei, quod tanto odio prosequitur, tam facile assensum dat?

5. *Amor Deo.*

Præterea hoc exercitio se exercere, est amoris diuini exercitio exerceri. Genuina enim & vera contritio ex Dei amore nascitur, quod illum offenderit, qui tam

bonus, & amore dignus sit, ideoque quanto magis quis DEVM nouit & amat; tanto magis dolet se illum offenderisse.

Sanctus Clemens refert de Sancto Petro, quod recordatus se Christum negasse, tanta à tot ille ex oculis lachryma fluxerint, vt faciem adusserint, & quasi canales fecerint. Dicitque, illum noctu, primo galli cantu surgere solitum fuisse ad orationem, & nunquam deinceps illa nocte dormiuisse, & tota vitahac consuetudinem obseruasse. Quod & nobis esset imitandum, & vtilissimum, quod quis in oratione, & extra eandem, facere potest exercitium, est actus contritione exhibere, odio habendo & detestando peccatum, firmiter proponendo male se millies mori, quam vnum mortale peccatum committere, à Deo petendo, vt potius illum ex hac vita decedere faciat, quam tale quid permittat. *Ne permittas me separari à te.* Ad quid enim ritam opto, nisi vt tibi seruiam? si tibi non seruiam; vitam nolo, aufer eam potius, quam te offendam.

## CAPVT V.

### De diuini amoris affectu.

Tertius affectus, quo nos exercet, quemque ex passionis mysteriorum meditatione colligere conuenit, est Dei amor. Nihil tam amandum mouet, quam si quis se amari sentiat, nec vlla vincula, nec compedes tam fortiter, manus & pedes constringunt. Anima ergo exacte Summum CHRISTI amorem qui hic tam elucescit considerans, & attente perpendens; necessario amore eius, qui tam eam amauit incenditur & inflammat. Ait Sanctus Apostolus & Euangelista Iohannes. *In hoc apparuit charitas Dei in uobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Et S. Euangelista Lucas nominat amoris excel-